

DE USU CONDENDI RELIQUIAS
IN RITU DEDICATIONIS ALTARIS

DUBIUM

Utrum reliquias Martyrum aliorumve Sanctorum sub altari condendi usus servari debeat necne.

RESPONSIO

1. Can. 1237, § 2 CIC¹ statuit usum condendi sub altari reliquias Martyrum aliorumve Sanctorum servandum esse iuxta normas, quae in libris liturgicis inveniuntur:

« Antiqua traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari fixo condendi servetur, iuxta normas in libris liturgicis traditas ».

2. Normae, de quibus CIC loquitur, enumerantur in ODEA (p. 22, n. 5 et p. 85, n. 11):

« Liturgiae Romanae traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari condendi, opportune servabitur. Haec tamen notentur:

a) Reliquae deponendae eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguae condantur reliquiae unius vel complurium Sanctorum.

b) Maxima cum diligentia inspiciatur num reliquiae deponendae authenticatae sint. Praestat altare sine reliquiis dedicari quam dubiae fidei reliquias sub eo deponi.

c) Reliquiarum capsula neque super altare neque in altaris mensa est collocanda sed, attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda ».

¹ *Sigla:*

CIC = *Codex Iuris Canonici* auctoritate Ioannis Pauli II promulgatus 25 ianuarii 1983.

ODEA = *Ordo dedicationis ecclesiae et altaris*, 29 maii 1977.

IGMR = *Institutio generalis Missalis Romani*, 2 martii 1975.

« Variationes » = Variationes in libros liturgicos ad normam Codicis promulgati introducendae, 12 septembris 1983: cf. *Notitiae* 19, 1983 pp. 540-555.

3. Novus CIC praedictas normas minime immutavit,² qua de re vim suam retinent.

Haec est interpretatio facienda n. 266 IGMR, qui in textu « Variationes » refertur, abrogatione ibi facta adverbii « opportune » haud obstante.

² Textus « Variationes » nullam de re variationem exhibet (cf. *ibid.* p. 17, X. In Ordinem dedicationis ecclesiae et altaris).